



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De tempore, loco, & alijs observandis in electione Romani Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Pontificem futurum statuere, & constitutionem super his edere, non tantum ex relat. *c. licet*, sed ex pluribus aliis Summorum Pontificum constitutionibus patet, quibus optimo modo semper providere desiderabant Ecclesie circa futuri Pontificis electiones; & quamvis successorem sibi nominare non possit Pontifex, non tantum ex prohibitione Sacrorum Canonum, sed etiam ex prohibitione juris naturalis, ne grave scilicet damnium ex indignorum sepius nominatione eveniat Ecclesie, potest tamen designare, quem putaverit dignum, vel deliberare cum Cardinalibus de suo successore, manente tamen ad eligendum libertate Cardinalibus, vel de forma aut modo electionis statuere pro bono Ecclesie, & illius pace, prout plures Canones concedunt.

Ad formam tamen quod attinet, quae in electione Summi Pontificis adhibenda est, servanda quidem esset forma in *c. licet*. praescripta, ex Concilio Lateranensi, ubi statuitur, ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Pontifex habeatur, in quem duae partes Cardinalium convenerunt, & prohibet sub gravissimis poenis, ut ne ullus, qui a tertia tantum parte Cardinalium electus est, pro Pontifice se haberi permittat, (ut aded in electione summi Pontificis non sufficiat tantum major, & sanior pars Cardinalium Capitulariter congregatorum, sed requirantur ad validam illius electionem duae tertiae consentientes, quod magis matura sit Romani Pontificis electio, ob majus damnium Ecclesiae ex minus discreta illius electione) neque absentium, si decem diebus post

Compend. Pirhing.

mortem Pontificis expectati fuerint, habeatur aliqua ratio, neque locum habeat collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum &c. & poterint publicato etiam scrutinio mutare, qui volunt, suam sententiam, ac aliis pluribus, si nemo duas tertias habeat, accedere, neque possit illa impugnari per objectionem excommunicationis, aut alterius censurae, cum in *Clement. 2. §. ceterum h. r.* expressè statuatur, nullum Cardinalium impeditum iri sub ullo censurae, cujusque praetextu ab electione Summi Pontificis, prout ad cavenda plurima incommoda, & celerius expediendam electionem varii Sacri Canones statuunt. Haec inquam, quamvis observanda essent, ad majorem tamen electionis hujus cautelam, alia insuper statuerunt multi Pontifices, praesertim Gregorius XV. & Urbanus VIII. quae si observentur, alia confirmatione non indiget electio Pontificis, cum supremam suam potestatem in universalem Ecclesiam non ab aliquo homine accipiat, a quo confirmari deberet, sed immediatè ab ipso Christo, juxta illud *Innocentij III. in c. novi 13. de judicio*, ubi dicit Pontifex; *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.*

§. III.

De tempore, loco, & aliis observandis, in electione Romani Pontificis.

SI Pontifex in civitate, ubi cum sua curia residebat, moriatur, Cardinales, qui in ea civitate tum fuerint praesentes, absentes quidem expectare debent decem diebus, vocare tamen aliter eos non debent, sed elapsis illis die-

M

bus

bus, siue absentes venerint, siue non, convenire debent in loco ad eligendum designato, & quamprimum, ad multa incommoda devitanda, eligere, subtractione etiam ciborum compellendi ad electionem celeriter expediendam, ut patet ex *c. ubi periculum 3. h. t. in 6.* ubi plura alia ad fraudes, & pericula devitanda, statuuntur, & quid fieri debeat asseritur, si extra civitatem, ubi suam curiam habet, moriatur. Vide citatum *c. & Clement. 2. h. t.* quibus plura addere necessarium non est, cum pleraque non tam ex jure communi, quam ex specialibus bullis dependeant.

§. IV.

De Electione Senatorum, Rectorum, & similium Officialium urbis Romane.

Vide de his *c. fundamenta 17. h. t. in 6.*

SECTIO X.

De Romani Imperatoris Electione, Confirmatione, Consecratione, & Coronatione.

Hæc tota materia, quia magis ex aureâ Bullâ Caroli IV. Imperatoris delumi debet, quam Germani nostri observant hodie, ita tamen, ut ea, quæ de jure Canonico statuta sunt in *c. venerabilem 34. h. t.* non negligantur, idèd aliis relinquatur examinanda. Vide *re. lat. c. & Clement. unicam de jure jurando*, ac *Gloss. in c. ad Apostolica 2. de sent. & re judic. in 6. V. illi autem.*

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

§. I.

A quo, & cujus auctoritate translatio Episcopi, vel alterius Prælati inferioris fieri possit?

Translatio in genere aliud non est, quàm Personæ alicujus ab una Ecclesia ad aliam sæcularem, vel regularem, Superioris auctoritate ob causam necessitatis, vel utilitatis, facta mutatio: In specie verò sumitur translatio, prout hîc de ea sermo est, pro sola mutatione Episcopi taliter factâ, de quâ certum est 1. fieri non posse eam propriâ tantum

transeantis auctoritate, quamvis electus tantum & confirmatus, nondum autem consecratus fuisset *c. 2. h. t.* (quia talis transitus multarum perturbationum, & multæ ambitionis origo esset) sed à solo Summo Pontifice, ex plenitudine potestatis, Episcopum à suâ Ecclesiâ, cui desponsatus fuit, transferente ad aliam, uti habetur in *c. 1. h. t.*; sicuti enim matrimonium carnale insolubile est, humanâ potestate, quia ex Dei Institutione indissolubile vinculum est, ita etiam spirituale matrimonium inter Episcopum, & suam Ecclesiam, merâ